

contendebant. Neque pariter integrum fidem plenamque auctoritatem concedi posse ajebat unus aut alter ex Amplissimis Suffragantibus *Fratri Gabrieli Morellori* Inquisitionis Apostolicae Testi LXXXII., qui per annum & ultra insanus fuit. Velenim de iis loquatur, quæ ipsi in amentia contigerant, vel quæ postea evenerant, nequit profecto illius testimonium admitti: quum ii, qui semel hujusmodi infortunio obnoxii fuerunt, nunquam, aut saltem raro illam mentis integritatem firmatamque recuperent. qua in gravissimis hisce peneque divinis Judiciis prædicti sint Testes oportet.

16 Et quia parum vel nihil *Causæ Postulatoribus* prodeesse poterit, selectissimos nullique obnoxios censuræ habere Testes, qui Dei Famulum cognoverint, cum eoque diutissime fuerint conversati, ni simul plures proferant specificos & individuos actus, ex quibus manifesto constet, Venerabilem Vi-  
rum in omni Virtutum genere reliquis ejusdem status & conditionis hominibus præcelluisse; dignum propterea, ut *Heros* dici haberique debeat, ac iis comparari, qui acceptis a Domino peregre proficidente talentis, alia superlucrati, duplicitam pecuniam ei reddiderunt: in hoc quam maxime *Causæ Patronis* erit adlaborandum. Quum enim doctissimi Consultores Summarium diligentissime perlustrarent, tantum absuit, ut eam Actuum heroicitatem atque præstantiam suspicerent ac mirarentur, ut potius eorumdem inopiam objicentes, frustra se conquisiisse affirmarent, præclara illa sanctitatis argumenta, quæ heroem efformant atque constituant.

17 Plura quidem congesta fuisse a Postulatoribus video in Responsionibus ad præteritas Animadversiones, quibus ostendere nisi sunt, Venerabilem Vi-  
rum heroico quadam sibi comparato in magnis quibusque atque admirandis rebus gerendis habitu, nihil tam arduum ac difficile offendisse, nihil corruptæ hominum naturæ adeo repugnans, quod oblata occasione, non illico, non prompte, non hilariter exequeretur: attamen ea vel satis ardua non esse, vel communem ejusdem status & conditionis hominum mo-  
rem minime superare, existimarent nonnulli ex Amplissimis PP., animad-  
vertentes, quod et si aliqua occurrant, quæ singularem præferre viden-  
tur excellentiam, tamen vel generice nimis a Testibus referuntur, vel  
Contestibus carent, vel incertum dubiumque est, cuinam tempori sicut  
consignanda, vel demum ignoratur prorsus, an ab oculatis, sive potius  
ab auritis Testibus comprobentur. Verum hæc in severissimo hoc  
omnium gravissimoque judicio rescire atque concurrere oportet, quoniam  
multiplex excellentia Vitæ firmis comprobata monumentis in Canonizandis  
requiritur, veluti docet æternæ memoriarum Pontifex *Benedictus XIV. magn.*  
*Oper. lib. 3. cap. 21. num. 11.*

18 Ex his, quæ usque adhuc disputata sunt, jam intelligere arbitror præstan-  
tissimos Postulatores, quid ipsis in Causa ceteroquin nobilissima præstan-  
dum sit. Quum enim Inquisitionum Acta iterum evolvent, ut supra me-  
moratum conficiant Elenchum, neglectis iis, quæ generalia nimis sunt,  
vel ceteris bene moratis Religiosis hominibus communia, ea tantummodo  
proferre, & Contestium dictis confirmare debebunt, quæ præclara atque  
sublimia revera sunt, vel magnitudine operum, vel agendi præstantia,  
quæque in ceteris sanctissimis Viris commendatione digna semper judicavit  
Apostolica Sedes. Meminerint præterea, illud Vitæ Servi Dei Commen-  
tarium a *Fr. Francisco Guillermo Gual* exaratum, locum haud quaquam sibi  
vindicare posse in memorato Elencho; ni forte eo uti velint, ut magis ma-  
gisque illustrent atque confirmant Testium oculatorum dicta; quum Cauf-  
sa, quam agimus, ad illarum classem pertineat, quæ directis Probatio-  
nibus innituntur.

Ne-